



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. III LITTERAE APOSTOLICAE **QUANDOQUIDEM PUBLICAE** IN RE PUBLICA ZIMBABUAE
CONSTITUITUR APOSTOLICA NUNTIATURA Ad perpetuam rei memoriam. – Quandoquidem publicae nuper
necessitudinis ratione inter Apostolicam Sedem et Civitatem Zimbabuanam prospere sunt feliciterque susceptae idcirco
nimirum ut commune utriusque partis commodum et bonum in singulos magis dies augesceret, Apostolicam Nuntiaturam
inibi etiam condere per opportunum Nobis iam videtur. Re igitur mature quidem expensa Nos pro Apostolicae potestatis
Nostrae plenitudine hasce per Litteras Apostolicas condimus simulque constituimus Nuntiaturam Apostolicam apud Rem
Publicam Zimbabuae, dum eidem legationi omnia et singula munera privilegia atque indulta concedimus quae illius modi
Legationum propria esse consueverunt. Quae ideo universa edicimus ac statuimus ut Apostolicarum harum Litterarum
virtute tam nunc quam posthac plenissime valeant. Contrarias neutiquam obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum*
Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXVII mensis Junii anno MDMLXXX, Pontificatus Nostri secundo. AUGUSTINUS Card.
CASAROLI, *a publicis Ecclesiae negotiis* © Copyright 1980 - Libreria Editrice Vaticana